


Wiener Stadt-Bibliothek.

26968 A



11.34681 A26968

ELEGIA DE MV-
SARVM IN GERMANIA HO-
SPITIO, CVI ET SCHOLAE NIS-
sensis descriptio ac encomion
insertum est.

Autore

VALENTINO POLNERO
NISSENO.



Viennæ Austriae excudebat Egidius
Aquila. Anno

M. D. LII.

1552

1552

M. IO ANNIS KELLII
Sueui, Epigramma.

Certè magna tibi debetur gloria Nissa,
Quòd struis eximias pubis amore Scholas.
Inde patet, studijs toto te corde fauere,
Æternumque tibi quòd velis esse decus.
Nil dubita, referes dignissima pramia quondam,
Quæ mox pro meritis docta corona dabit.
Aspice quos fructus, quæ solus commoda præstet
Leander, vestræ maximus vrbis honos.
Doctus vbi Albinus? Nissenæ pubis habenas
Qui tenet, ô magne dexteritatis homo.
Quid loquar hunc, qui iam Polnerus carmina donat
(Quàm verè ingenio pollet & arte) tibi?
Accipe nunc igitur strenam, præclare Senatus,
Missam, Polneri quam bona Musa dedit.
Hoc breue nam tempus si flores attulit istos,
Quas fruges olim messis adulta feret?

IOANNES BELSIVS
Eperienfis.

Qui tibi non faueat iuuenum Polnere modeste,
Pectus huic ferri & duri Adamantis inest.
Integritas laus est, Clario sed ludere in horto
Pectine cum Musis gloria maior erit.
Perge, iuuante Deo, sic saltem Aganippidas vndas
Lambere, & incepto pocula fonte bibe.
Si biberis, cresces: video nam sidera Solis
Cum Venere, & Lunam ritè fauere tibi.
Mercurius Libram tenet, hic splendentia verba
Semper amat, tales efficit atque suos.
Sed mea ne vltèrius diffundam carmina, laudo,
Tempore quòd mittis xenia digna tuis.
Tu prudens igitur, Nissæ pars clara, Senatus
Crescentis paruum suscipe vatis opus.
Hæc, paucis contentus, ama, gremioque tuere,
Zoilæ flecte etiam, fex inimica, pedem.

AMPLISSIMO AC

PRVDENTISSIMO SENATVI

Niffensi, Dominis ac patronis suis colendis.

Valentinus Polnerus Niffenus

S. D.



PRÆCLARE (inquit Cicero) à Platone dictum est : non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes vendicant, partem amici. Quam quidem sententiam, Viri sapientissimi, cum nuper altius mecum considerarem, non potui non summoperè dolere, mihi nondum istam facultatem esse datam, vt communi hominum societati, præcipuè autem patriæ dulcissimæ, pro sententia prodesse possim. Quoniam autem vulgò dici solet : In magnis & voluisse sat est, & is in aliquo gratitudinis ac officij loco habeatur, qui certis quibusdam indicijs suam erga benè meritos, propensam voluntatem testatam facit, non potui non interim exercitio quodam iuuenili, aliquam significationem studij, tum erga totam patriam, tum erga vos ostendere, cū mea studia vobis imprimis probari cupiam. Licet mihi tenuitatis meæ satis conscius, neq; ignorem vestras laudes & scholæ Niffensis nitorem illum elegantissimum à me, vt fieri debebat, describi non posse : malui tamen famæ subire periculū, quàm animi mei erga vos specimen non ostendere. Interim mihi sat erit, me breuibus vestram erga huma-

niores artes & illarum cultores beneficentia, alijs no-
tam fecisse, quamuis istam ipsam quoque Gymnasium,
magnifice extructum, satis superq; testetur. Hoc au-
tem est sapere, non tantum curare, vt teneræ iuuentu-
ti doctissimi quique præceptores præ sint, verum etiam
loci splendore quasi stimulos ad diligentiam addere,
ac iuuenilia ingenia sic excitare benignitate, vt sciant
sibi conatum suorum spem omnem positam esse in bo-
nis Magistratibus. Quod quidem cum sedulo curetis,
confido futurum, vt ex schola vestra tot doctorum vi-
rorum prodeant milia, quot olim armatos equus Troia-
nus reddidit. Caterum enixè vos oro, vt primos hosce
meos conatus, vestris nominibus dicatos, boni consule-
re dignemini, atq; ab obtredatione maleuolorum vindi-
care. Quod cum fieri intellexero, me maximoperè in-
stigabit, vt non tantum cæpta studia diligentius per-
sequar, verum etiam laudem vestrarum virtutum ce-
lebrare nunquam desinam. Interim me meaque studia
vestræ fidei & benignitati commendo, ac Deum
patrem cælestem oro, vt vos in communem pa-
triæ utilitatem diu seruet incolumes.

Benè valete. *Viennæ Austriæ,*

III. Non. Ianuarij,

M. D. LII.

ELEGIA DE MV.

SARVM IN GERMANIA HO-

spitio, cui & Scholæ Niffensis descriptio, ac
encomion insertum est.

VALENTINI POLNERI

Niffeni.

E la age docta Thaleia refer, quo crimine lesa
Pieriae linquis templa sacrata tuae?

Cur reliquæ fugiunt disiecto crine sorores?

Cur pater antiquum linquit Apollo solum?

Non ita de nihilo est assuetis cedere rectis,

Et velut eiectas querere in orbe locum.

Ergo quis infestis vos propulsauerit armis,

Illius nobis nomina quæso refer.

AN TIBI NON nctum toto quod spargitur orbe?

Muta tibi soli garrula fama fuit?

Quem fugit, vt Geticus populauerit arua tyrannus

Aoniæ, vt nobis non queat esse locus?

Vtque suo imperio iam subdidit omnia regna,

Quæ Sol exoriens cernit & occidius?

Non huic iustitia est curæ, nec quicquid honestum est,

Non ars, quæ mores non finit esse feros.

Contemptor Diuûm est, cui pro ratione voluntas

Imperat, ac stricto iura sub ense iacent.

Armipotente, igitur Musis, cum patre feroci

Conueniet bellè, & fœdera pacis erunt?

A iij

Sauromatæ

Sauromatae tantum fera Martis castra sequuntur
Pugnacis, semper lurida tela gerunt.
Non iam (vab) cernes Graecæ vestigia linguae,
Omnia sunt Getico barbara facta sono.
Et genus est duro tantum intradabile bello,
Cui fuit (heu) quondam mitius ingenium.
Dum, fuso nondum tam multo milite, Turca
Argolicos esset depopulatus agros.
Hactenus Argiuis cœlestia sacra placebant,
In nostros cultus Græcia prona fuit.
Sed quia mutatis modò facis aspera Martis
Sacra colunt, ideò liquimus Aoniam.
Venimus Ansoniam, ventosa per æquora vectæ,
Vix data sunt nobis hîc loca tuta satis.
Germanas igitur, pennis superantibus Alpes,
Venimus ad gentes, Marte potente satas.
Non fuit his populus magis vnq̃ innictus ab armis,
Plurima nam forti bella tulere manu.
Illis tantum animos hostilia tela dederunt,
Essent qua fortes materiesque data est.
Hinc retinent titulos Manni virtute paratos,
Quòd tulerint semper multa trophæa domum.
Quodque gerant cuncti fortissima corda virorum,
Gens Alemannorum nomine dicta fuit.
At quia nunc nostras sunt corda imbuta per artes,
Mollescunt mores, asperitasque fugit.
Nec fera Gradiui Germania festa frequentat,
Ponit ad antiquos, quæ tulit, arma lares.

Iam tantum nostros tractat reuenter honores,
Thuricremos Musis extruit vsque focos.
Pinguibus atque aris gaudet studiosa iuuentus,
Et structis vitulos imposuisse rogis.
Certatimque colunt misti iuuenesque senesque,
Auricomi Phœbi, Pegasidumque sacra.
Conduunt magnificas ædes, qui regna gubernant,
Et loca sub nostro nomine multa struunt.
VRBS clara est, roseos quæ Solis spectat ad ortus,
Nissa, in Slesiaco pars benè nota solo.
Fruetibus arboreis, & lactis dulcis abundans,
Et quæ prætereà fert benè cultus ager.
Stagna quid alta loquar? quid flumina nigra? quid
Cunctas, quæ multo pisce natantur aquas. (vltra?
Quid hæc voluptatum memorem viridaria plena?
Omnia fructiferis consista ab arboribus?
Quid syluas amplas, & prata fragrantia dicam,
Quæ Nissam circum gramine culta virent?
Hic nobis ædem populus sanctusque Senatus
Condidit, huic similem vix regio altera habet.
Omni ex parte domus cunctis est peruia ventis,
Illustratque omnem Phœbus vterque locum.
Ante fores latè aspectus patet amplus, & ingens
Turris, terrendis hostibus apta satis.
Hinc Iacobe tuum templum supereminet altè,
Alluit hoc blando murmure Bula strepens:
Quæque suo tingit coniunx Titbonia, cælum
Lutea, puniceo lumine, sidereum.

Prospectus ludi patet hac, velut à specula alta,
In nemora & facili culta vireta manu.
Vestibulum silice est stratum, cui magna canalis
Succumbens, tecto quæ cadit vnda, capit.
Arcet & indoctos longè, osoresque Heliconis,
Litera, quæ, Græca, est fronte notata scholæ.
Incitat, & Latia quæ lingua est scripta, parentes,
Artibus vt dedant pignora chara bonis.
Hic vbi & ingressum fornix patefecit amœnum,
Principio occurrunt bina hypocausta tibi.
Quodque tenet leuam, latere ac calce est cameratū,
Dixeris hoc conchæ ritè referre domum.
Est spaciosum aliud, cancellis atque fenestris
Perspicuum latis parte ab vtraque benè.
Aptius vt discat, posita interualla, iuuentus,
Per medium scindunt ordine quosque suo.
Moxque gradus superans primos, habitacula bina,
Asserè limato contabulata videt.
Inde aperit sese sacris aptissima nostris
Aula, die nunquam Sole micante vacans.
Ex illa est aditus docti ad conclaue Magistri,
Qua venit Eois Sol nouus ortus aquis.
Aulæ in medio est alias ingressus ad aedes,
(Diuisa in ternas est Schola namque domos.)
Bis duo sunt illic penetralia structa, & eorum
Crustatum calce est, saxa ligante, solum.
Occupat augustum loca summa cubile, sed ima,
Testudo, medium bina hypocausta tenent.

Ipsa etiam ex aula ascensus datur altus, ibidem
 Bis sex, ast vno dempto, habitacula vides.
 Disposita hac simili spacio sunt singula, & apta
 Illis, Pieridum qui pia sacra colunt.
 Tertia sed quamuis domus est seiuncta duabus,
 Vna tamen ternas tegula dura tegit.
 Hic atrium sese magnum offert, inde per altas
 Accessus scalas ad loca summa patet.
 Dextraque Museum per amœnum, læua cubile
 Amplum habet, vnde Aquilo frigora seua ciet.
 Æde hac perdiscit numeros, monstrante Magistro,
 Pubes, qua possit pingere & arte notas.
 Magnæ instar molis tectum supereminet altè,
 Inspiciens campos flore virentis agri.
 Non ita Parnassi nobis iuga grata fuère,
 Quam tumuis multos sint habitata dies.
 Non Helicon tantum arrisit: Nam Græcia tota
 Cultibus in nostris non ita sedula erat.
 Ac vis Nissenam pubem tenet ipsa sacrorum,
 Tota cui nostri corda ab amore flagrant.
 Nec solâ hanc habet hic amor, ardor at omnibus idem
 Quot iuuenum passim Teutonibus ora tulit: (est,
 Quotque senum, cuncti nostris de more bidentes
 Imponunt aris, Pegasiumque bibunt.
 TV QVOQVE, cui iuuenis, quaesita est causa viarû,
 Ingenuas artes perdidicisse velis.
 Desidiaque omnes fugias, puer optime, causas,
 Atque tuis annis vttere & ingenio.

Nec (facit ut vulgus) Fortuna suspice dona,
Hæc, quæ iam dederit mox repetijſſe ſolet.
Cum ſtudij at noſtri maneat fœlicior uſus,
Te, moneo, totum huic dedere abinde velis.
Sic tibi perpetuum nomen cum laude parabis,
Hoſtis in hoc poterit iuris habere nihil.
Cætera funeſtæ ſunt omnia ſubdita morti,
Ingenium extremos effugit uſque rogos.
Vos ſequar, ô Muſæ, & dū ſpiritus hos reget artus,
In veſtris cupio conſenſiſſe ſacris.
Nil prius ex illis fuerit, quod continet orbis,
Quàm veſtræ aſſiduum me comitem eſſe viæ.
Siue etiam extremos via ſit faciendâ per Indos,
Si quid & ulterius Phœbus vterque videt.
Non metuam Ponti, non mille pericula terræ,
Ipsa etiam Martis per fera caſtra ſequar.
Cuncta feram Aonidū doctarum dum modò alumnus,
Eſſe que dum poſſim miles Apollotuus.
Tu faueas igitur cæptis, Deus optime, honeſtis,
Ut pergar, noſtram dirige, Chriſte, ratem.

AD VIGILANTIS

SIMVM ET SAPIENTISSIMVM

virum, MARTINVM Groß, Consulem Nis-
sensẽ, patronum suum obseruandis.

Elegia eiusdem.

AVstriacis, sapiens ô vir, cape carmen ab oris,
Cui res & virtus nomina Magna dedit.

Accipe quæ lusit iuuenilis carmine Musa
Nostra, nec inuita perlege mente rogo.

Cùm rutilæ desint mihi, quas vehit Asia, arenæ,
Et quas diuitias aurifer Hermus habet.

Pocula nec mihi sint fuluo calata metallo,
Ingenij fetus en tibi mitto mei.

Virtutum cupio per laudes ire tuarum,
Claudicat alterno at nostra Thaleia pede.

Vnde sed incipiam? generis num nobile stemma
Fingam, cùm obscuro sis genitore satus?

Non hîc inuenio saltantem in imagine capram,
Non galeam insignem picta tabella refert.

Non aquilas nigras, non magnanimosque leones,
Omnia quæ titulos nobilitatis habent.

Et quibus hoc æuo nostro ingens turba superbit,
Pestiferos ludos, deliciasque sequens.

Ducere quid prodest genus alto his sanguine auorû,
Quum fœdo semper crimina corde tegant?

Nam plus est propria nomen virtute parare,
Quàm parto alterius pectore honore frui.


Dotibus ingenij maiores vincere nostros,
Illosque à nobis ducere principia.
Sic quoque te studio laudem peperisse perennem,
Testantur ciues, quot modò Nissa tenet.
Ingenuas etenim mentem excoluisse per artes,
Moribus atque bonis viuere cura fuit.
Non graue erat patrias tibi, Magne, relinquere sedes,
Et multos passim visere in orbe locos.
Ipsa suum te scit benè alumnum clara Vienna,
Quæ dudum est Latij æmula facta scholis.
Passus es, ô, quoties æstus & frigora seua,
Sustulit & quoties trita polenta famem.
Sepe sitim liquido manans de fonte leuauit,
Atque aridum guttur pura refecit aqua.
Dum varios gentis didicisti noscere mores,
Tempore sint, & quo, qualibet acta, loco.
Hinc redis in patriam post multos doctior annos,
Connubij casti vincula grata petens.
Haud mora, es in numero prudentis, Magne, Senatus,
Iam patriæ multum consulis ecce tuæ.
Materies foret ut virtutibus amplior istis,
Te Nissæ Ædilem Curia sancta legit.
Hic tibi mandat series vix fanda laborum,
Non, nisi sit similis mens, subeunda, viro.
Consilio ecce tuo schola surgit squallida, ut omnes,
Tempore quot nostro Slesia, vincat, habet.
Nec fluuius solito celebris iam manat in alueo,
Nomine de cuius patria nomen habet.

Hoc opus ingenij est vestri, te namque monente,
Est aliò docta ductus ab arte fabri.
Annis (quis credat?) cùm tentaretur id, imo
Lætitiæ fundo plurima signa dedit.
Dat senior plausum Glaucus, rex æquoris ipse,
Naiades & festos conceleberrare dies.
Nereides sub aquis Nymphæ duxere choreas
Festas, saltantis dux Thetis ipsa chori est.
Ceruleus Protheus (nouit namque omnia vates)
Mox vrbi cœpit talia verba loqui.
O' celebris, cuius nos, vrbs, sapientia iungit,
Hic est diuino semine, crede, satus.
Iustitiam semper sanctam venerabitur, æquum,
Et misero & diti ius tibi dicet idem.
Aurea non poterunt hunc vincere dona scelestis,
Vt nequeat proprij muneris esse memor.
Opprimet hic nunquam iustos, sed turba maligna
Sentiet vltorem criminis esse sui.
Quis non fœlicem Nissam illo Consule dicet?
Nulli erit infœlix publicus ille status.
Non feret hic diræ fomenta & semina litis,
Sed tollet, possunt quæ fore causa mali.
Et populos idem concordia pace ligabit,
Imperio miti quos reget ille suo.
Nititur en (menti pacis tam magna cupido est)
Vrbibus & fluuios associare suos.
Hic nos æterno iam iungit fœdere, Nissa,
Nomine qui Magnus dictus & ingenio est.

Sic ait, atque manum fabrilem est sponte sequutus
Annis, & en subito qua via facta ruit.
Nunc tanquam veris muros amplectitur vlnis,
Ceusint hæc fidei pignora certa suæ.
Singula quid referam vestri monumenta laboris,
Quæ decus & longæ posteritatis erunt?
Sedulitas adeo præclaris est tua factis,
In cunctis Nissæ conspicienda locis.
Iamque iterum fasces tibi sunt, & iura tuenda
Tradita, qui frigus passus es atque famem.
Vilia nam iuuenis qui fert velamina, sepe
Purpureas vestes fert humero ille senex.
Cui misero prius & locuples alimenta negarat,
Sepe etiam lauto pascitur ipse cibo.
Conspicuos adeo sic virtus reddit egenos,
Fertque suæ ingenium præmia digna moræ.
Hinc fit, ut hi melius miseris succurrere norint,
De tot qui damnis exeruere caput.
Hinc fit, ut & studijs faueant melioribus, atque
Tuta sit illorum Musa patrocínio.
Ecce tuas igitur verecunda Thaleia sub aras
Nunc properat, vultus astat & ante tuos.
Hanc, precor, ut solito semper tue ære fauore,
Fidam deserta subijciasque manum.
Antè feret flammæ mare, piscis in axe nabit,
Flumina & ad tergum sunt ruitura prius:
Terra feret citius stellas, dabit ignis & vndas,
Gratia quam meriti sit moritura tui.

Interea quæ iam iuuenis tibi carmina lusi,
Accipe, quæque dedi suscipe mente rogo.
Tempora si crescent, quoque crescent carmina nostra,
Plenius & laudes facta que vestra canent.
Nunc, precor, autumnus quot habet vineta, quot arbor
Frondes, tot viuas letus adusque dies.
Vine tuis æquans nomen virtutibus, atque
Successus habeat sors tua. Vine, vale.

F I N I S.



ALBANY, N. Y.

WILLIAM H. BROWN

AND PUBLISHER

